

MARCHIA ET RAVENSBERG.

appellationem, quod ob loci situsque oportunitatem, ædificiorum aliquid ad castrum istum semper accesserit, ut à quotidiano incremento Sufatum, quasi ein *Zufatz* / sit cognominatum. Antea Archiepiscopo Coloniensi paruit, nunc sub Cliviorum, Juliacensium ac Montensium est Imperio. Complures sub se pagos habet, quos populari nunc lingua *die Burden* indigetant. *Werdena.* Werdena ad Ruræ amnem jacet, exstructa occasione cœnobii à S. Lutgero instituti. Initium habet à Guilielmo de Hardenbergh, 42 Abbate, anno 1317, & ab Engelberto Comite Markensi, civitatis privilegiis, quibus etiamnum gaudet, donata. Oppidani rem pecuariam, unde & plurimum victitant, exercent. Agros habent lætos & compascuos, montes præaltos & sylvis obfitos, in quibus incredibiles porcorum greges oberrare quandoque videas, & rivulos gratissimo murmure ex montibus scaturientes. Sunt in hoc Comitatu Præfecturæ 14: *Præfectu- v. e.* *Iserenloe, Huerde, Alena, Boeckum, Swartenberg, Wetter, Ham, Swerten, Lunen, Humna, Nustat, Blanckenstein, Raede, Werden,*

*Camen.* Irrigatur regio Rheno, Rura, necnon Lippia, Angero, Woppero, aliisque fluviolis.

RAVENSBERG.



Comitatus Ravensberg à parte *Limites.* Septentrionali terminatur Episcopatu Mindensi & Osna-brugensi: ab Orientali Lem-gouweni, ab Australi Pader-bornensi, & Comitatu Lippia, Rheda & Retbergæ: ab Occidentali, Episcopa-tu Monasteriensi. Moris olim fuit, uti arces in montibus exstruerentur; unde & nomina for-tiuntur, *Retberg, Cloppenberg, Hertzberg, Sparenberg, Sterneberg, Swallenberg, Ravensberg.* Est enim hæc *Arx.* arx validissima, sita in monte, quæ toti Comita-tui nomen dedit. Reliqua oppidula sunt hæc: *Oppidula.* *Bilevelt, Herwerda, Engbera, & Vlothowe.* Regio mon-tosa est, nec minus ferax, ut & vicina. Ducibus Clivæ paret.

